



Disputatio juridica inauguralis de fidejussoribus

<https://hdl.handle.net/1874/347239>

26.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
FIDEJUSSORIBUS.

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis.

Eruditorum disquisitioni subjectit.

P E T R U S van E G E R E N, ULTRAJECTINUS.

A. D. 8. Julii, hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, d^o I^oc Lxxxix.

P A T R I A E
A T Q U E
A M I C I S.
N E C N O N
O M N I B U S
JURISPRUDENTIÆ
F A U T O R I B U S
E T
C U L T O R I B U S.

*Hanc Disputationem Inauguralem submissâ
animi devotissimi observantia*

Offert & inscribit

P E T R U S v a n E G E R E N.

A U C T . & R E S P .

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
FIDEJUSSORIBUS.

THEISIS I.

Cum de Fidejussoribus tractaturum, prius nosse oportet nomen, unde illud descendat; Juxta dictum Ulpiani, ut patet. *ex l. 1. in princ. ff. de just. & jure.* Fidejussor dicitur à fidejubendo, quod sæpe idem est, quam spondere vel promittere. *Arg. l. 5. §. 2. ff. de verb. obligat.* Fidejussores dicuntur ad promissores. Fidejussio olim fiebat, his verbis: promittis? promitto. Fidejubes? fidejubeo. Spondes? spondeo. Ex quâ responsione quis obligatus erat. Hodie non tam adstricti sumus ipsis formulis, antiquo jure usitatis; nam si quis solummodo interroganti sive stipulanti, ad rogatum ejus responderit, etsi non eodem verbo, quo stipulans fuerit usus; tamen sine dubio, respondens erit obligatus. E. G. Si quis, stipulanti, fidejubes? responderit, faciam quod vis. *l. 12. Cod. hoc tit.* Olim apud Veteres fidejussor dicebatur, præs, unde illud; *prædibus & prædiis cavere.* Apud Cic. epist. 3. *ad Verr.* Si fidejussor ob evictionem fuerat datus, specialiter secundus auctor appellatur. *l. 4. ff. de evictionib.* Fidejussorem non male ita describi posse arbitror: quod sit intercessor, qui alienam obligationem in fidem suam suscipit mediante stipulatione ita ut debitor principalis maneat obligatus. Ex hac fidejussoris descriptione facile videre est, quod fidejussor non sit debitor principalis, sed tantum accessorius: nam intercedit ad obliga-

A 2 tionem

4 DISPUTATIO JURIDICA

tionem principalem. §. 5. *Inst. hoc tit.* Ideo fidejussores à Juris Consultis aliquando accessiones appellantur. *I. 91. §. 4. ff. de verb. obl. I. 43. ff. de solut. & liberat. I. 34. ff. hoc tit.*

I I.

Variæ sunt differentiæ , inter fidejussorem & expromissorem, eum, qui constituit, mandatorem & correum.

1. Fidejussor ab expromissore differt , ita ut expromissor in se suscipiat alterius obligationem : adeo ut principalis debitor liberetur , vel ab initio tota obligatio in expromissorem conferatur , vel ex post facto , in locum debitoris accedit per novationem ; nam expromissor est is , qui pro alio , novandi animo promittit. *I. ult. ff. ad SC. Maced. I. 22. ff. ad SC. Vell. I. 37. §. 8. ff. de oper. libert.* At vero fidejussor ita obligatur, ut principalis debitor maneat obligatus , pro quo fidejubet. *I. 53. ff. de cont. empt. I. 10. ff. de pignor. act. I. 56. ff. de pecul.* Unde apparet fidejussione non fieri novationem.

II. A constitiente differt fidejussor. 1. Qui constituit, vel suum vel alienum debitum constituit. §. 8. *Inst. de actionib.* Et hoc nudo pacto. *I. 1. in pr. & §. 4. ff. de confit. pec.* Fidejussor tantum ad alienam obligationem per stipulationem accedit. *Nam fidejusso est verborum obligatio , qua quis alienam obligationem in fidem suam suscipit , ita ut debitor principalis maneat obligatus in pr. Inst. hoc tit.* dicitur verborum obligatio, aliter stipulatio. Fidejusso olim non siebat, nisi interposita stipulatione. *I. 5. §. 2. ff. de verb. obl.* Hodie nihil interest quomodo fiat fidejusso & quavis lingua, non tantum solemniâ, sed tam Græca quam Latinâ: modo sit idonea & per quam contrahentium consensus intelligatur, quod in quavis stipulatione obtinere videtur. *I. 10. Cod. de contra & committend. stip.* 2. Constitutum est Juris Prætorii. Fidejusso Juris Civilis. 3. Constitutum semper habet diem adjectam , sive expresse sive tacite ; quia subintelligitur spatium decem dierum. *I. 21. §. 1. ff. de confit. pec.* unde constitutum in diem fieri dicitur. Fidejusso fit vel in diem vel pure. §. 5. *Inst. hoc tit.*

III. Fidejussor à Correo differt ; quod hic teneatur alieno nomi-

A I N A U G U R A L I S. 5

nomine; nam tantum accessorie obligatur l. 8. ff. hoc tit. l. 12.
Cod. eod. ille vero se proprio nomine ex consensu obligat.

IV. A mandatore differt fidejussor. 1. Quod mandator semper præcedat obligationem principalem, fidejussor vero sequi & præcedere potest. §. 3. Inst. hoc tit. l. 6. §. 2. ff. eod. 2. Fidejussor fit verbis; nam stipulatio intercedit, mandator solo consensu obligatur, nam mandatum est contractus consensu constans. in pr. Inst. de obligat. ex cons. 3. Fidejussor debet esse præsens, nam stipulanti debet respondere, mandator absens fieri potest.

I I I.

Præmissis illis, nunc considerandæ veniunt personæ, quænam adhibentur fidejussioni vel prohibentur. Omnes possunt fidejubere, qui se sibi & aliis possunt obligare. l. 3. ff. hoc tit. 1. Filius familias potest pro patre fidejubere & fidejubendo obligatur. l. 10. §. 2. ff. hoc tit. l. 8. Cod. eod. l. 1. Cod. filiosam. minor. Adeo, ut, si postea filius fam. sui juris factus sit, à creditoribus possit conveniri, in quantum facere potest, vel in potestate constitutus in solidum condemnandus est, & ipse pater eo nomine potest conveniri actione quod jussu. E contrario si pro ignorantè patre intercesserit, cessat hæc actio, nisi in rem patris sit versum; nam tunc cum patre agendum est, quatenus in rem ejus versum sit. 2. Pupilli & Minores, auctoritate tutorum vel curatorum recte fidejubent, quamvis habeant restitutionem in integrum. l. 48. §. 1. ff. hoc tit. l. 7. §. 3. ff. de minorib. At vero sine tutorum vel curatorum auctoritate impuberis vel minores non possunt fidejubere; quia sine eorum auctoritate, non obligantur. l. 11. in pr. ff. de acq. rer. dom. 3. Servus potest se fidejubendo obligare, sed tantum quoad rem peculiarem, si faciat deteriorem domini conditionem, sed si meliorem, excedere potest rem peculiarem. l. 19. ff. hoc tit.

1. Non possunt admitti ad fidejussionem milites, ne à militia avocentur. l. 8. §. 1. ff. qui satisf. cogant. l. 31. Cod. locat. cond. nisi in rem suam, (id est) cum fidejubent pro suo pro-

cura,

6 DISPUTATIO JURIDICA

curatore: nam milites armis non privatis negotiis occupari debent; ut numeris & signis suis jugiter inherentes Rempublicam, à qua aluntur ab omni bellorum necessitate defendant. Hinc Senatus Frisorum, non tantum non admisit militis fidejussionem; sed neque etiam Capitanei et si satis locupletis. Ut refert. *A. Sande in suis Dec. Frisorum hoc tit.* 2. Furiosi fidejussio non tenet; quia nescit quid agat, neque etiam mutus, surdus nec infans possunt fidejubere: quia fidejussio fit interrogatio-
ne & congrua responsione. l. 1. in pr. ff. de verb. obl. requiritur enim verborum interventus: sed cum hodie fidejussio per epistolam facta valet; nulla de muto & surdo erit dubitatio.
3. Clericus non recte fidejubet; nam æquiparatur militi *Nov. 123. Cap. 6.* ubi Clericus impeditur, ne fidejubeat pro Publicanis & Vectigalium Redemptoribus, ne exinde sanctæ domus damno afficiantur. Potest tamen fidem suam interponere pro aliis, si pietatis & necessitatis causa exigat: at vero si Clericus sepe pro alio de facto fidejubendo obligaverat, sine dubio compelli potest adsolutionem, quia recte intervenisse videatur.

I V.

Denique mulieres nequeunt fidejubere ob *SC. Vell. l. 1. & tot. tit. ff. ac Cod. ad SC. Vell.* Nam fæminæ ex fidejussione non obligantur ob hujus SCti exceptionem. *l. 2. ff. ad SC. Vell. l. 9. l. 10. Cod. cod.* Quam exceptionem SCti iis præbuit ob imbecillitatem sexus, ne intercessio sua ipsis nocere queat. *l. 1. & seqq. ff. ad SC. Vell.* ac duæ sunt causæ, quibus nequidem mulieres ipso jure ex sua intercessione obligantur: prima est, si aliter quam publico instrumento interposito fidejusserint. *l. 23. l. ult. Cod. ad SC. Vell.* Secunda est jure novissimo constituta, quod mulieres non tantum non efficaciter pro extraneis intercedant, sed nequidem in specie pro maritis nisi ostentatur, pecuniam in utilitatem ipsarum mulierum esse versam. *Auth. si qua mulier. Cod. hoc tit. & Nov. 134. Cap. 8. Gudelinus in Comment. de jure novissimo.* Nisi ei beneficio valide renuntiaverint, habent tantum hoc beneficium mulieres, si pro aliis intercedant. Excipe tamen, si apud minorem intercedat mulier,

tum

tum recte ex sua intercessione conveniri licet, est enim privilegium ætatis fortius quam SCti. l. 12. ff. de minorib. Cessat hoc SCtum. 1. Si mulieres aliis quid donent. l. 4. §. 1. ff. ad SC. Vell. 2. Si pro aliis solvant. l. 4. §. 5. cod. tit. Nam non nisi ante solutionem mulieribus beneficium exceptionis prodest. l. 11. ff. ad SC. Maced. Si vero de facto solverint, habent indebiti conditionem. l. 40. ff. de indebit. cond. 3. Si indemnitatem promiserint. l. 8. §. 1. ff. hoc tit. 4. Si se ad utilitatem suam obligent. Auth. si qua mulier. Cod. eod. tit. Præterea huic SCto locus non est, ob ipsum factum mulierum. 1. Si callide & dolose intercesserint. l. 18. Cod. eod. tit. 2. Si specialiter renuntiaverint huic SCto, modo de illo edictæ vel instructæ fuerint. 3. Si pretium acceperint pro sua intercessione. l. 23. Cod. eod. tit. 4. Denique, si cum viris communem negotiationem exerceant. Qui modi hisce versiculis in sunt.

Casibus in denis mulier spondendo tenetur,

Pro libertate, & pro dote, renunciet, eti.

Decipiat, premium capiat, caveatque secundo.

Debenti si succedit, si debita caput,

Sin minor est credens, si commoda propria gessit.

V.

Observandum est fidejussorem ad omnes obligationes accedere posse. l. 1. ff. hoc tit. sive re sive verbis, litteris vel consensu sint contractæ sive demum contrahendæ. §. 1. Inst. hoc tit. & §. 3. Inst. eod. & l. 6. §. ult. ff. eod. Nec interest utrum sint naturales vel civiles; omnis enim obligatio civilis fidejussorem admittit. §. 1. Inst. hoc tit. Exceptio est in obligatione mariti, qua maritus convenientius est, soluto matrimonio, ut restituat uxori dotem: pro qua obligatione fidejussorem exigi constitutiones vetant, ne perfidiae causa in connubio generetur. l. 1. & 2. Cod. ne fidejuss. dot. dent. Nisi in casu inopiaz mariti, tunc enim cautio fidejussoria admitti recte potest de conservanda ac restituenda dote. Gail. in suis observ. Tenetur quoque fidejussor ex obligatione, quæ ex delicto vel quasi delicto proficiuntur. l. 8. §. 5. l. 56. §. ult. l. 70. §. ult. ff. hoc tit.

Act

3 DISPUTATIO JURIDICA

At DD. distinctionem faciunt inter delicta, ex quibus proveniunt pecuniariae pœnae vel capitales: priori casu admitti possunt fidejussores; nam sufficit, ut quis, aut pignoribus aut idoneis fidejussoribus, caveat *l. 6. §. 1. ff. de muner. & honor.* & nihil refert utrum reus pœnam solverit an vero fidejussor, modo solvatur. *arg. l. 23. & l. 33. ff. hoc tit. Arumai disp. 23. ad l. 8. §. 5. h. tit.* Si tamen reus ante item contestatam moriatur, liberatur tam fidejussor quam reus. *l. 10. §. 2. ff. si quis cauit in jud. sif. causa factæ non obtemp.* hoc enim æquitati conveniens est, quod si principalis debitor liberetur, multo magis fidejussor qui est accessorius. Nam accessorium sequitur suum principale. Posteriori casu, si agatur criminaliter & ad coercitionem corporis, inutiles esset fidejussio. *l. 34. ff. de cust. & exhibit. reor. l. 22. ff. de pœn.* Quia delicta suos teneant autores: nam pœna corporalis nulla potest fieri restitutio, & nihil prodesset fidejussori, si reus postea eandem lueret pœnam; ac non minus firma mihi hæc ratio videtur, quare nemo possit pro pœna corporali obligari, quia nemo est dominus membrorum suorum *l. 13. ff. ad L. Aquil.* & absurdum sanè foret, pro reo fidejussorem plectere velle: nam pœna finis intendit partim ad emendationem delinquentis, partim ad exemplum, quo alii à maleficiis deterreantur, partim adsolatum, quo læsus velejus cognati fruantur: at si fidejussor datur pro reo, tunc nec reus emendaretur, nec exemplum commode statucretur, nec læso ejusve cognatis satisfieri poterit, quare fidejussorem non posse intercedere pro actore sceleris omni dubio caret. Quod nostris moribus & Gallorum convenit, quibus quidem in actionibus ex delicto arbitrariis & pœnis non capitalibus, relinquitur arbitrio Judicis, ut reo licet sibi sumere fidejussores, qui cavent de judicio sifiti, ut reus relaxetur, & eo melius sese defendere possit & sententia executionem expectet. Juxta *l. 6. §. 3. Cod. de appell.* In capitali crimine nullo modo locum habet fidejussio neque relaxatio; cuius rei expressus est textus. *in Statut. Dioces. Ult. Rub. 36. Artic. 1. his verbis.* *In alle delicten / daer de straf is van lijve /*

I N A U G U R A L I S. 9

Ijde / ijde / openbare schabotteringe / geeselinge ofte diergelijke / en is den gebangene niet te ontslaen op bochtocht. Quæ latius apparent, apud Simon. van Leeuw. in sua Cens. Forenſ. Admittitur quoque fidejussor ad naturalem obligationem. §. 1. inst. hoc tit. l. 12. & 8. §. 1. & 16. ff. eod. Nam naturalis obligatio æque vera est, et si ex se satis sit infirma, quæ accessione fidejussoris satis munitur ac firmatur.

V I.

Datur quoque fidejussor pro obligatione pupilli, modo sit infantia major; non vero pro furioso neque prodigi. l. 6. ff. de verb. obliga. Pro servo etiam obligatur fidejussor; nam servus potest naturaliter obligari ex contractibus. l. 13. in pr. ff. de cond. indebi. l. 50. §. 2. ff. de pecul. non solum extraneo, qui cum eo contraxit; verum etiam domino suo. §. 1. inst. hoc tit. junct. l. 14. ff. de obligat. act. Ideo extraneus & dominus, in id, quod sibi naturaliter à servo debetur, recte à servo fidejussorem accipiunt. §. 1. inst. hoc tit. l. 70. §. 3. ff. eod. nam obligatio naturalis ut alias accessiones, nimirum, constitutum & pignus, ita etiam admittit fidejussorem. §. 1. inst. hoc tit. l. 1. §. 7. ff. de const. pec. E contrario in id, quod servo à domino debetur naturaliter, non admittitur fidejussor neque datus obligatur. l. 56. §. 1. ff. hoc tit. hac quidem ratione; nam si hoc calu fidejussoris aliqua esset obligatio, ea statim recurreret ad dominum, & unus idemque sibi quodammodo esset obligatus, quod fieri nequit. l. 57. ff. de solut. l. 7. Cod. de pact.

V I I.

Jure antiquo creditor ante reum principalem poterat eligere fidejussorem, ut sibi solveret debitum. l. 5. cod. hoc tit. Jure vero novo, si fidejussor conveniatur ante debitorem principalem, potest allegare exceptionem beneficij ordinis seu excusonis: vocatur ordinis beneficium, ob ordinem, qui observari debet à creditore, in conveniendo primò reum principalem, tum demum fidejussorum; & describitur; Quod sit privilegium, quo opposito, creditor prius debet convenire debitorem principalem, & eo excusso demum fidejussorem. Quod

B

ab

10 DISPUTATIO JURIDICA

ab *Imp. nost. Justin.* introductum est ex *novell. 4.* unde desumpta est, *Auth. present. cod. hoc tit.* Fidejussor non convenientius est antequam debitor principalis, nisi is vel absit vel solvendo non sit, quo casu Imperator succurrit fidejussori indulgendo ei spatium, intra quod debitorem absentem evocet, idque iudex ei pro distantia loci concedere debebat, quo spatio temporis elapsio, si reus non apparuerit, lis peragitur contra fidejussorem & condemnatus satisfacere creditori cogitur, quod non obtinet in aliis penitus, cum dies ipsa dicta satis interpellat promissorum. *l. 22. ff. de obl. & att. l. 23. ff. de except. arbit.* Sed aliquid aliud obtinet si fidejussor fuerit acceptus tanquam principalis debitor; nam tunc intelligitur solutionem alterius debiti suscepisse, tanquam proprii, & perinde est, ac si omnibus beneficiis fidejussor renunciaverit: nec ut fidejussor, sed ut debitor principalis absque ulla alterius discussione convenitur; nam in contractibus verba non debent esse otiosa. *l. 1. §. 1. ff. quod quisq. jur. &c. l. 109. ff. de leg. 1.* Neque fidejussoribus, judicio fissandi neque judicatum solvendi causa datis; beneficium ordinis est concessum, quia hujusmodi stipulationes ex auctoritate Prætoris interponuntur, ut judicium ratum sit. *l. 1. ff. de stip. præt.* Neque etiam ei conceditur hoc beneficium, qui pro naturali obligatione fidem suam interposuerat. *arg. l. 16. §. 4. ff. hoc tit.* ut pro obligatione pupilli, mulieris & ejus, contra quem executio fieri nequit. *l. 25. ff. hoc tit.* Hic queri possit, an restitutio in integrum competens minori, etiam propositus ejus fidejussori? nego, hoc quidem certum est in aliis restitutionibus; sed in restitutione, quæ minori conceditur nullo modo: quod probatur per *l. 1. & 2. cod. de fidejus. mino.* ita ut actio mandati ei denegetur. *l. 13. ff. de minorb. l. 89. ff. de acq. vel omitt. hered.* Nam fidejussor ideo intervenit, ut, si minor non possit conveniri ipse fidejussor conveniatur. Excipe. 1. si adversarius validè potest contra alium actionem suam experiri, puta, contra principalem debitorem. *l. 51. ff. de procura..* 2. si quis sponditer pro minore, putans eum esse majorem. *l. 48. ff. hoc tut.* Cessat beneficium ordinis. 1. si quis ei specialiter renuntiaverit. *arg.*

I N A U G U R A L I S . II

arg. l. pen. ult. cod. de pact. Dicosi specialiter renuntiaverit; nam generali renuntiatione ab omnibus sibi juribus competentibus, non excluditur fidejussor ab hoc beneficio: quia renuntiatio est stricti juris, &, si expressè ejus mentio non fuerit facta, non veniet subintelligenda. 2. si debitor principalis absens sit. *Anth. præsent. Cod. hoc tit.* quod satis antea explicatum est. 3. si debitor non sit solvendo. *Dict. Anth. & l. 6. ff. de dolo malo.* 4. si quis malitiose negaverit se fidejussisse. *arg. l. 10. §. 1. ff. de minorib.* nam jura deceptis non decipientibus sunt scripta: 5. Si fidejussor debitori successerit *l. 24. Cod. hoc tit.* tunc enim ut principalis debitor erit conveniendus, quia per aditionem hæreditatis omnibus creditoribus tacite obligatur; nam repræsentat personam defuncti & in omne jus defuncti succedit.

V I I I.

Si plures fidejussores concurrant *Imp. noster iust. in §. 4. inst. hoc tit.* docet, singulos fidejussores in solidum teneri ipso jure, etiam si id nominativum non convenerit. *l. 3. cod. hoc. tit.* at habent divisionis exceptionem, ex Divi Hadriani epistolâ *§. 4. inst. hoc tit. l. 26. ff. eod.* quidam putant quod hujus beneficii origo sit Divo Pio adscribenda, sed parum interest an hoc beneficium fuerit excogitatum à Divo Hadriano, & auctum à Divo Pio. & sic definitur; quod sit privilegium, quo opposito, singuli fidejussores, si plures sint, non possunt conveniri insolidum, sed quisque pro virili parte. *§. 4. inst. hoc tit.* Qua exceptione consequuntur fidejussores, ut creditor actionem suam dividat, ut sic fidejussores solidi condemnationem effugiant & singuli tantum pro sua parte convenientur: modo omnes fidejussores tempore litis contestatae sint solvendo. *§. 4. Inst. hoc tit. l. 51. §. 1. & pen. ult. ff. eod.* Si vero eo tempore quis fidejussorum non sit solvendo, hoc cæteros onerat. *§. 4. inst. hoc tit. l. 3. 10. §. 1. Cod. eod.* Nisi tamen confidejussor creditorem admonuerit, ut tempestive ab eo scilicet confidejussore, qui forsan post brevi temporis intervallum non esset solvendo, peteret partem debiti & neglexerit sive petere noluerit, tum etiam non tenetur confidejussor insolidum, neque ad rem attinet, si postea quidam non fuit solvendo;

12 DISPUTATIO JURIDICA

vendo; nam hoc non spectat ad periculum confidejussorum *l. 5. §. pen. ult. ff. hoc tit.* Quæ exceptio etiam post litem contestatam opponi potest, *l. 10. §. 1. Cod. hoc tit.* Cessat beneficium divisionis. 1. Si reliqui fidejussores absint aut tempore litis contestatae non sint solvendo; nam si post litis contestationem desinant solvendo esse, illud damnum creditor solus sentiet. *§. 4. inst. hoc tit.* 2. Si unus ex fidejussoribus decesserit sine hærede. *l. 26. ff. hoc tit.* 3. Si quis intercesserit cum eo, qui tantum naturaliter poterat obligari, ut mas & fœmina, tum mas insolidum erit obligatus. *l. 48. ff. hoc tit.* Quod etiam à *Frisie Senatu* judicatum resert, *Johan. à Sande.* Si mas & fœmina simul fidejusserint, licet beneficio divisionis non sit renuntiatum, tamen teneretur mas in solidum. *l. 48. in pr. ff. hoc tit.* Sanè si mas & fœmina societatem inierunt, & in rem communem spönderint, mulier obligatur pro sua parte & non pro parte masculi; quia pro parte masculi fidejussisse videtur, dum sese obligauit in solidum. *l. 17. §. 2. ff. ad Sc. Vell. l. 18. eod.* 4. Si quis per mendacium dixerit se non habere divisionis beneficium. *l. 10. §. 1. ff. hoc tit.* 5. Si quis tacite vel expresse divisionis beneficio renuntiaverit. *l. 10. §. 1. cod. hoc tit. & arg. l. pen. ult. cod. de pätt.* nam licet unicuique juri pro se introducto renuntiare. *l. pen. ult. cod. de pättis.*

I X.

Et, si, omissa exceptione divisionis, totum debitum solvat fidejussor, non potest exigere à confidejussoribus, quod ultra partem solverit, quia nullam actionem contra eos habet: nam fidejussor cum confidejussore non contraxit, sed omnes cum creditore contractum inierunt: nisi fidejussor eâ lege solverit creditori, ut creditor ipsi cedat actiones. *l. 39. ff. hoc tit. l. 76. ff. de solut.* Per beneficium cedendarum actionum, quod est privilegium, quo unus ex fidejussoribus, qui totum solvere paratus est, à creditore petit, ut actiones suas cedat, adversus confidejussores & reum principalem. *l. 11. l. 21. & Auth. present. Cod. hoc tit.* etiam pignora tenetur creditor fidejussori solventi tradere. *l. 11. 14. 21. Cod. hoc tit.* modo pignus non retineatur ob aliud debitum: et si fidejussor à confidejussoribus

bus nihil possit exigere , tamen repetere potest à debitore principali , omne quod solvit actione mandati §. 6. *Inst. hoc tit.* seu negotiorum gestorum actione , de quibus latius quando tractaturus sum de actionibus fidejussoribus competentibus. Quæri non immerito hic possit , an post solutionem debiti à fidejussore creditor i factam , non possit petere fidejussor , ut creditor sibi cedat actiones contra debitorem principalem ? Negative respondendum esse existimo , solutione enim facta tollitur omnis obligatio , nec quicquam superest quod postea cedi possit. l. 76. ff. *de solut.* l. 36. 39. ff. *hoc tit.* l. 23. 43. ff. *de solut.* Nam non entis nullæ sunt qualitates. *Wesemb. par. hoc tit.* N. ult. Cessat hoc beneficium. 1. Tacitâ vel expressâ renuntiatione. 2. Solutione debiti. l. 39. ff. *hoc tit.* l. 23. ff. *de solut.*

X.

Porro sciendum est , morte fidejussoriâ non extingui fidejussionem , sed transire in heredes. §. 2. *Inst. hoc tit.* l. 4. §. 1. ff. *eodem.* Nem effectus fidejussionis consistit in eo , ut tam fidejussorum hæredes quam ipsi fidejussores teneantur in solidum. l. 24. *Cod. hoc tit.* et si hoc non sit expressum , quia tacite inest. l. 3. *Cod. eod. in Christianei Decis. Belg. vol. 4. lib. 8. tit. 41. Dec.* 179. Idque fit exemplo rei principalis. l. 24. ff. *hoc tit.* Quod obtinet in omnibus contractibus , ut facto defuncti hæres constringatur. l. 49. ff. *de obl. & act.* Juxta Regulam l. 62. ff. *de R. J. l. 24. ff. de verb. significat.* ubi dicitur quod hæreditas , nihil aliud sit , quam successio in universum jus quod defunctus habuit ; nimirum tempore mortis : unde quoque apparet hæredem rei locum obtainere. l. 4. ff. *hoc tit.* Nam in contractu ejusdem potestatis Jurisque est hæres cuius fuit defunctus. l. 59. ff. *de R. J.* Etiamsi mentio hæredis nulla sit facta in contractu l. 24. *Cod. hoc tit.* Nam hoc est regulare tum in stipulationibus dandi , tum faciendi , ut tacite hæredes complectantur , l. 13. ff. *de contrahend. stip.* Quoniam omnes obligationes ex contractu vel quasi contractu sunt transitoriae , non quæ ex delictis oriuntur ; quia in illis nulla est repræsentatio aut transmissio , cum delicta penitus hærent in persona delin-

16 DISPUTATIO JURIDICA

tum omni dubio caret. l. 24. §. 1. ff. de usur. l. 8. ff. de eo quod certo loco. Perezius in hunc tit. Cod.

X V.

Duplices sunt actiones, quæ competit fidejussoribus, quarum prima est actio mandati competens fidejussori, qui pro reo mandante l. 10. §. 11. mand. vel cont. aut saltem præsente & paciente solverit, ut possit hac actione repetere quod pro reo solvit, dixi si solverit, nam ante solutionem, quia mandatum necdum est peractum, nulla est actio fidejussoria, nisi fidejussor jam sit condemnatus adsolvendum; quia eo casu habetur ac si solvisset; cum sententiam sequatur executio, dixi pro præsente & paciente, nam videtur tacite mandare. l. 6. §. 2. l. 18. ff. l. 6. Cod. cod. vel etiam si reus principalis postea ratum habuerit, cum ratihabitio æquiparatur mandato. l. ult. Cod. ad SC. Maced. Fidejussor si repeatat, quod solverit, non repetit tantum principale debitum sed & damnum & etiam agit ad interesse. §. 6. Inst. hoc. tit. l. 20. 35. ff. mand. l. 56. ff. de re jud.

X V I.

Altera actio competit, cum quis pro absente & ignorantे fidem suam interposuerit, tunc enim fidejussori datur actio negotiorum gestorum. l. 20. §. 1. ff. mand. Nemini utique hæc actio competit, nisi ei, qui utiliter absensis negotia gessit. l. 2. ff. de negot. gest. utiliter gessisse intelligitur is, qui eo animo gessit, ut Domino proficit, quamvis aliter evenerit. l. 10. 11. ff. de negot. gest. Cæterum si quis pro invito & vetante fidejussit, & solvit, repetitionem non habet; nam donasse videtur. l. 49. ff. mand. l. ult. Cod. de negot. gest.

X V I I.

Denique explicandi veniunt modi, quibus fidejussor liberatur.

I. Debiti solutione l. 37. ff. hoc tit. nam si solutione liberaatur debitor ab obligatione, qua devinctus est creditor; idcirco etiam liberatur fidejussor à fidejussione; nam æquitati conveniens est, quod quando debitum principale adimatur, multo magis

magis fidejussio, quæ est ejus accessorium, sub verbo solutionis etiam intelligenda est omnis satisfactio. *l. 177. ff. de sig. verb. l. 51. ff. de solut.*

II. Pacto de non petendo *l. fin. ff. de pact.* quod fit, quando creditores debitoribus suis remittunt, quod sibi debetur, quod quamvis sit pactum fraudulentum tamen est servandum, dum sine dolo factum sit.

III. Per litteras dilatorias à Principe impetratas. *l. 4. Cod. de precib.* quoniam hæ exceptiones actionem ad certum tempus deferunt & creditori petenti ad tempus permisum obstant. *§. 10. Inst. de except. l. 3. ff. eod.*

IV. Novatione. *l. 18. Cod. de novat.* per quam extinguitur prior obligatio & nova ponitur, pro qua non est interventum, quatenus tamen novatio subsistit. *l. fin. Cod. de novat.* cum non tam intenderint contrahentes ad extinguendam priorem obligacionem, quam in aliam transfundendam, quam tamen subesse necessarium est, ut prior obligatio extinguitur.

V. Præscriptione temporis. *l. 3. 4. Cod. de pres. long. temp.* Nam qui usuccepit pro solvente habetur. *l. 37. ff. hoc tit.*

VI. Confusione. *l. 3. §. fin. ff. desolut.* Si creditor succedit debitori, sive debitor creditori, cum pro eodem apud eundem non datur intercessio, qui casus tamen exceptionem patitur; ut si inventarium fuerit confectum, per quod jura manent integra, perinde ac si non adiisset hæreditatem. *l. fin. Cod. de jur. deliber.* idem quoque obtinet si fidejussor debitoris sit hæres ejus. *l. 5. ff. hoc tit.* nam fidejussor tunc convenientius est à creditore vel tanquam hæres; nam hæres obligatur tacite adeunda hæreditate creditoribus defuncti, vel tanquam ipse debitor.

VII. Si ad inopiam vergat reus aut solutionem longo tempore protrahit.

X V I I I.

Operæ pretium erit, ut ultimo loco discutiatur quæstio; an fidejussor prorogatione termini liberetur? Licet in eâ multi DD maxime dissentiant. Verior illa mihi distinguentium sententia videtur

18 D I S P U T . J U R I D . I N A U G .

detur, utrum fidejussor ad certum tempus, utrum vero simpliciter sine certi temporis adjectione fuerit obligatus.

Priori casu potest fidejussor agere ut liberetur, nam non tenetur ultra tempus adiectum restringendæ limitandæque fidejussionis causa: quia quando de præjudicio tertii agitur, tunc tempus prorogatum non dicitur idem tempus. *Gail. lib. 2. observat. 30.* & prorogatio tantum operatur inter prorogantes. arg. l. 46. §. 4. ff. de administ. tut. l. 3. insin. ff. de arbit. absente fidejussore & sic ei nocere nequit. Juxta regulam, quod pactum non operetur ultra personas; inter quas est interpositum, nec etiam ultra illam rem, de qua interponitur. l. 27. ff. de pact. & tor. tit. Cod. res inter alios abt. aliis non præjud. Christi. Decis. Curie. Belg. Vol. 3. Cod. lib. 4. tit. 65. Dec. 115. Nam aliter factum debitoris noceret fidejussori contra juris æquitatem; nisi fidejussor novandæ fidejussionis animo fidem suam de novo interposuerit. l. 13. §. 11. ff. locat. l. 7. Cod. eodem. tit. l. 25. §. 2. ff. de arbitris. l. 46. §. 4. ff. de admin. tuto. Cæterum fidejussor hoc casu quidem liberatur, quoad sortem vel pensionem aut usuras futuri temporis, non autem quoad pensiones & usuras præteriti temporis, hactenus enim obligatus manet. *Sande in suis Dec. Frisiae.*

Posteriori casu, si tempus non sit adiectum fidejussionis restringendæ limitandæque gratia; sed si quis simpliciter fidejusserit pro quodam debitore l. 54. ff. locat. tunc enim non finitur obligatio fidejussoria prorogatione solutionis; nam fidejussor in omnem eventum non factæ solutionis manet obligatus, quoniam tunc nimis facile poterat fraudari creditor. E. G. Si quis pure intercesserit pro debito, quod certo die solvendum erat. Quod esset contra fidejussionis intentionem; nam fidejussor ideo fidem suam interponit, ut creditor i milius siet cautum. *in pr. Inst. hoc tit.* Plura non addo, nam non absolutum tractatum hisce pagellis proponere, sed potissima tantum capita levi peniculo adumbrare animus fuit.

A N-

A N N E X A.

I.

*Pater, liberis exheredatis, pupillari-
ter substituere potest.*

II.

Emphyteusis est contractus juris gentium.

III.

*Hæres non potest esse testis in testamento,
legatarius contra.*

IV.

Publiciana actio etiam Domino datur.

V.

Jus altius tollendi est servitus.

VI.

*Actus extraneus in testamento celebrari
nequit.*

VII. In

Ex Officina Typografica Academiae
Theologicae, 1610.

A X E M I A

In omni coniunctione locum habet jus
crescendi.

V I I I .

Filius fam. de adventitiis plenis testari
nequit.

I X .

Vestimentorum est quasi ususfructus.

. V I



. I V

III